

quens Senatus Præconsultorum sententiam probavit, ac per dispositos equos ad legatos mandata perferri jussit.

Acceptis Senatus literis, statim Joannes Michaelius ad Henricum, qui tunc ad Damianum oppidum extra Lutetiam morabatur, proficiscitur, quæ sibi injuncta fuerant, exequitur: *Quot ex acerrimo bello clades christiana respublica perpessa sit, quot eo tempore impendeant, exponit; nihil vel ad amplissimum Galliæ regnum servandum, atque augendum; nihil ad publica sananda vulnera pace opportunius esse: neminem inveneri, qui tot malis defessus summis votis concordiam non exoptet, pacem non exposcat: Veneti Senatus nomine enixe petere, orare, ut tandem perturbatis, afflictisque rebus prudentia, ac pietate succurrat, neve, quantum in ipso sit, eximium hoc bonum expetere diutius mortales patiuntur.* Henricus, gratiis Senatui actis, belli causas in Hispanos confert, qui nimium elati, suisque rebus tantum augendis intenti, duriores conditiones proponant: Christianum se Regem esse, pietatis titulos a majoribus hausisse, pacem, dummodo sine detrimento, ac dedecore confici possit, ex animo amplexurum. Eodem officii genere Lotharingiæ Cardinalem, supremum Regis Consiliarium, Michaelius aggreditur. Is, præteritorum temporum memoria repetita, *una cum imperio hereditario veluti jure, bella ad Hispaniæ, ac Galliæ Reges pervenisse, inquit, quibus miserandum in modum christiana respublica lacerata, ac discerpta pene ad interitum properaret; sed hactenus qui aversos animos conciliandi negotium susciperet, neminem extitisse: Paulum Pontificem Maximum, cuius praesertim id munus esset, nullos unquam de concordia sermones injecisse; neque, si maxime velit, perficere quidquam posse, quod ei ne minimis quidem in rebus Reges considerent: Venetos tantummodo, qui æque cum iis pacem servarent, atque in neutram partem inclinarent, tam grave, adeo arduum negotium posse ad exitum perducere.* Michaelius inde Lutetiam reversus, quæ egerit, Catharinæ, Regis uxori, significat; quæ non aliunde conficiendæ pacis spem, nisi a Veneto Senatu dimanare posse confirmat: ut ad id onus suscipiendum Patres vehementer hortetur, a legato petit. Eodem tempore Michael Surianus citato itinere Bruxellis Atrebatum contendit; inde in castra ac Philippum progreditur, man-

1558  
Veneti per  
oratores Re-  
ges ad pacem  
hortantur.